

N^o 110.

Congregationis CC. RR. Infirmis Ministrantium

Rmus. P. Franciscus Vido CC. RR. Infirmis Ministrantium universæ familiæ Præfectus, probe noscens quantum auxilii morbis animi medendis vel ipsis ægrotis morti proximis disponendis Sacrosanctum Missæ Sacrificium conferre soleat : a Sanctissimo Dno. Ntro. Pio PP. X. privilegium altaris portatilis pro cunctis ipsius Regularis familiæ sacerdotibus humillime flagitavit : ut, nimirum, iisdem Clericis Regularibus, venia habita a respectivo Moderatore vel Provinciæ suæ Præfecto in privatis fidelium domibus sive prope cubiculum, sive in ægroti cubiculo ad animæ solamen bonumque illius Sacrum litare liceat : in publicis vero Nosocomiis aliisque piis locis vulgo « Lazzaretti » nuncupatis, necnon in domibus uti ajunt « Case di salute », singuli iidem Clerici Regulares in Altari portatili Missam celebrare valeant. Sanctitas porro Sua, hujusmodi supplicia vota ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Præfecto relata clementer excipiens, de specialissima gratia nunquam in exem-

plum afferenda, expetitur privilegium, absque ulla Apostolici Brevis expeditione, pro Nosocomiis ceterisque enuntiatis locis benigne tribuere dignata est singulis Sacerdotibus prædictæ Regularis familiæ, quoadusque ibidem commorentur. Pro ægrotantium vero privatis domibus potestatem fecit tum supremo Moderatori, tum singulis pro tempore Præfectis unicuique Provinciæ CC. RR. memoratæ Congregationis ut pro suo quisque prudenti arbitrio et conscientia, prævio tamen Ordinarii loci consensu, permittat Missæ Sacrificium in Altari portatili celebrari, dummodo loci decentiæ, meliori quo fieri potest modo, provideatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 26 Julii 1905.

A. Card. TRIPEPI *Pro-Præf.*

L. ✠ S.

† D. PANICI *Archiep. Laodicen, Secret.*